

debitum ex sponsalibus contractum. Ergo parte altera tacente, non denun-
tiantem, hoc est, non exigente impletionem sponsalium, ea implendi non est
obligatio.

*Si ais 2º. L. 14. ff. de diversis Regulis Juris dicitur: in omnibus obliga-
tionibus, in quibus dies non ponitur, presenti die debetur; ergo.*

R. D. Ant. Si creditor ita velit, et exigat *C.* si taceat, non exigat, cum
commode possit *N.* Tunc enim dilationi consentire censetur. Sicque illa
L. 14. optime conciliatur et concordat cum *L. Debitores* cit.

Si ais 3º. Qui votum fecit nullo præfixo termino temporis, tenetur statim,
ac potuerit commode, implere; ergo et promittens matrimonium nullo de-
terminato tempore, quo implenda sit promissio, statim, cum commode
poterit, contrahere. *Prob. Cons.* Ideo primum; quia alias defraudaretur Deus
eo tempore, quo votum differtur: atqui etiam sic defraudaretur sponsa, vel
sponsus; ergo.

R. C. Ant. N. Cons. Disparitas est, quia in primo casu creditor est Deus,
qui semper censetur petere executionem voti: quia hanc nunquam solet
urgere expresse; nec aliunde est ratio, cur non exigat statim, dum est com-
moda voti implendi occasio: e contra in secundo casu creditor est homo,
qui exigere potest, et expresse exigere solet, dum vult debitum solvi; unde
est ratio censendi, eum consentire dilationi solutionis, dum hanc non exi-
git, licet commode exigere posset.

206. *Dico V.* Sponsalia ad exigentiam partis alterius implere nolens sine
justa causa, primo monendus est; sique renuat pertinax, per competentia
juris remedia a competente iudice per se loquendo potest, et debet compelli.
Ita quoad rem Doctores satis communiter.

Prob. ex c. Ex litteris 10. h. t. in quo prius præscribitur admonitio;
deinde coactio per censuras. Ratio autem est; quia iudicis officium exigat,
ut, quando subditus jus suum petit, hoc illi non neget; sed unicuique, quod
suum est, tribuat; ita ut nulla illi injuria, vel damnum contingat: sed
qui sine justa causa sponsalia implere renuit, parti alteri injuriam infert;
ergo injuste resilientem monere debet, sique monitio non sufficit, cogere
per censuras, quæ sunt validiores iudicum ecclesiasticorum sententiæ; imo
si opus fuerit, etiam per alias pœnas.

Conf. Si enim hoc servetur in rebus minoris momenti, ut habetur *c. 3. de
pactis.* Quanto magis in re tam gravi? Hoc addo ad innuendum, fieri posse,
sive illa promissio fuerit jurata, sive simplex; in utroque enim casu fit
injuria et injustitia; igitur in utroque casu compelli potest, eo solo discrimi-
ne, quod, si promissio jurata fuerit, aut puella sub matrimonii specie
deflorata, possit fortius compelli.

Dixi 1º. *per se loquendo;* nimirum si justa causa alia non obstet; obstare
autem potest perpetuitas rixarum; si periculum violandæ conjugalis fidei,
scandala et similia timeantur, vel prævideantur; timenda autem sunt, si
resiliens nec monitionibus, nec pœnis induci potuit; tum enim ob nimiam
resilientis pertinaciam, expedit ut dimittatur, ad evitanda alia mala,
quæ ex coacto, aut solum ficto matrimonio sequi possunt; et majora sunt,
quam violatio fidei sponsalibus datæ. *c. Requisivit. h. t.* ubi ratio datur:
cum coactiones difficiles soleant exitus habere. Nec eo casu actori a iudice

fiet injuria, imo ipsi magis faveret iudex, quia graviora damna ab ipso
propelleret.

Dixi 2º. *a iudice competente,* qui privative est Ecclesiasticus, dum de
jure et valore sponsalium, et causa resiliendi quæritur.

207. *Si opponas 1º.* Lucrus III. *c. Requisivit* cit. ad sponsalium impletionem
ait sponsam *monendam potius, quam cogendam,* eo quod coactiones soleant
frequenter difficiles exitus habere; ergo non potest per remedia juris
compelli.

R. N. Cons. Vox enim *potius* juxta recentiores interpretes et apud Barbo-
sam in cap. cit. n. 3. idem significat ac *prius;* prius autem etiam juxta nos
monenda pars resiliens. Deinde verum est, quod potius monenda sit, quam
cogenda, si monitione induci possit ad servandam fidem; nec hoc quæritur;
sed illud, an, si monitio nihil proficiat, saltem tunc per pœnas vel inten-
tatas, vel inflictas compelli possit? hoc vero Pontifex cit. cap. non negat;
posse vero sic compelli habetur *c. Ex litteris 10.* cit.

208. *Si opponas 2º.* Matrimonia debent esse libera; nec extorta metu
gravi *c. Cum locum 14. c. Veniens,* 15. de Spons. et Matrim. et alibi. Sed
coactio obest libertati et consensui. *L. Nihil consensui 116. ff. de R. J.* Ergo
pars resiliens non potest cogi ad matrimonium per censuras et pœnas.

R. D. Maj. Debent esse libera a metu injuste incusso *C.* secus *N.* Cum enim,
qui fidem per sponsalia dedit alteri, ad eam implendam per nuptias obligetur
graviter, intentatio pœnæ ecclesiasticæ, vel hujus inflictio, et ex illa con-
ceptus metus non erit injustus: nec obstat libertati consensus; tum quia
sic coactus ipsa promissione matrimonii istius contrahendi necessitatem
libero voluntatis suæ consensu sibi ipse imposuit juxta vulgare illud, quo
contractus *ab initio voluntatis, postea necessitatis,* propriæ voluntatis
consensu inducti esse dicuntur. *L. Sicut 5. c. de O. et A.* Tum quia in-
juste resiliens metum, quem patitur, sibi ipse intulit, nolendo facere, quod
sine gravi alterius injuria omittere non potest; tum quia adhuc eo metu se
liberare potest, injuriam removendo.

ARTICULUS II.

DE ARRHIS ET PœNA SPONSALIBUS APPOSITA.

209. Arrharum nomine hic veniunt eæ res, quæ sponsæ a sponso, aut
vicissim, dantur *expresse* veluti in pignus futuri matrimonii, ut, si nuptiæ
fuerint secutæ, repeti possint, sicut pignus soluto debito; si vero nuptiæ non
sequantur ob culpam unius, datam fidem violentis (nam secus est, si non
sequantur ob justam causam) is, qui fidem violaverit, datas perdat. *L. Mu-
lier 5. c. de Sponsal. et Arrh.* Dixi: *expresse,* nam si tradantur simpliciter,
sine mentione arrhæ, tales non præsumuntur, sed potius sponsalitia largi-
tas, aut jocalia. *Arrha* differt præcipue a pœna simplici, quam contrahentes
adjiciunt subinde sponsalibus, quod ex dispositione legis, saltem regulariter,
tradi arrham oporteat, in pœna sufficiat promissio.

Verius et communius docent auctores; arrhas apponi posse in quavis

quantitate, quia per leges nulla statuta limitatio. Nec refert, arrha in re mobili, an immobili consistat. Si enim potest vendi fundus, ut ex comparato pretio dentur pro arrha res mobiles, cur tradi non poterit fundus ipse?

Porro circa arrhas L. *Mulier* cit. statuit hæc quatuor: *primum*, ut qui arrham recepit, si a sponsalibus injuste resiliat, duplum restituat, scilicet ipsam arrham, et simul ejus valorem, licet de hoc specialis contractus non intercesserit, unde et dici solet arrha *legalis*, vel duplum legale, quia quoad solutionem simul valoris, est præcise a lege. *Secundum*, ut ipsi contrahentes possint inter se hoc pactum inire, ut, qui injuste resilierit, reddat arrham, et præterea duplum, vel triplum; et dicitur duplum vel triplum *conventionale*. *Tertium*, ut hæc pacta inire non possit, si sit minor viginti quinque annis, et ætatis veniam non impetrarit. *Quartum*, ut, qui juste resilit, nec perdat arrham traditam, nec ad quidpiam solvendum teneatur, præter arrhæ, quam ab altera parte accepit, restitutionem: et denique ut pro sponsis possint eorum parentes arrhas tradere et recipere. His ita expositis

Quæritur 1°. Utrum qui fidem sponsalium sua culpa violat teneatur in conscientia, ante sententiam judicis, ad solvendum duplum legale? 2°. An sic etiam duplum, vel triplum conventionale? nam contractui sponsalio valide adjici arrhas certum est ex L. *Mulier* cit. similiter acceptam arrham ipsam ante sententiam tunc restituendam esse ab injuste resiliante nemo ambigit, cum eas retinendi nullum illi jus suffragetur et nullum habeat titulum retinendi.

210. *Dico I.* Ante sententiam judicis non est obligatio in conscientia solvendi duplum legale.

Ratio est, quia est pœna legalis; generaliter vero non est obligatio subeundi pœnam legalem ante sententiam judicis.

211. *Dico II.* Nec est obligatio in conscientia restituendi arrhas conventionales sive duplicatas, sive triplicatas ante sententiam judicis, si de hoc expresse non convenit inter contrahentes; secus vero si, ut ante restituerentur, inter eos convenisset. Wiestner Instit. Can. L. IV. h. t., etc. Est sententia media inter Doctores sibi extreme oppositos, quorum aliqui simpliciter affirmant cum Felino; alii simpliciter negant cum Navarro.

Prob. 1^a. p. Ex mente et intentione contrahentium, qui, si aliud non expriment, solum dupli aut quadrupli pœnam censentur apponere, ut non recedant a data fide metu conventionis, et faciendæ condemnationis per judicem; hanc enim adjiciendo, in dubio præsumendi sunt habuisse intentionem conformem naturæ pœnarum a lege impositarum; cum actus gestus in dubio præsumatur secundum propriam ejus naturam, ut ait Wiest. cit. ex Menoch. Lib. 6. Præs. 10. Sed pœnæ a lege impositæ ex natura sua semper exigunt condemnationem ante obligationem eas subeundi. Accedit, quod in dubio interpretatio benignior sit præferenda rigorosæ L. *Semper* 56. et c. *Estote* de R. J. *Conf.* inde, quod, cum dupli et tripli pœna multum recedat ab æqualitate servanda in contractibus, æquitas postulet, ut hæc non debeantur, antequam cognoscatur, an causa resiliendi vere injusta, ejusque injustitiæ pœna arrhæ multiplicatæ sit æqualis; vel justa major, a judice redu-

cenda ad æqualitatem, hocque ita receptum esse testatur Gutierrez de Juram. p. 1. c. 3. 6.

Prob. 2^a. p. Quia conventio partium legem inducit, quæ in contractibus servanda est, et obligationem parit ante sententiam judicis; hanc enim obligationem contrahentes sibi ipsis, dum ita expresse conveniunt, libere imponunt. arg. c. 85. de R. J. in 6.

212. *Obj. I. cont. p. 1^{am}.* Ubi intervenit jus naturale, non requiritur sententia judicis, ut quis censeatur obligatus in foro conscientiæ: atqui dum contrahunt quoad arrhas duplicatas et triplicatas, intervenit jus naturale; quia hoc in omni pacto justo reperitur; ergo.

R. C. *Maj. D. min.* Si contrahentes conveniant de reddendis arrhis duplicatis et triplicatis ante sententiam judicis C. si non conveniant N. Sed de arrhis multiplicatis ante sententiam reddendis non convenerunt; ergo nec quoad has intervenit jus naturale, quod, ut in pactis obliget, præsupponit conventionem.

213. *Inst. 1.* Mens contrahentium, de arrhis multiplicatis a resiliante restituendis convenientium sine mentione sententiæ judicialis, præsumitur fuisse, ut redderentur ante illam; ergo. *Prob. Ant.* Quia ex dictis supra conventio partium legem inducit, quæ servanda est in contractibus ante sententiam.

R. N. *Ant.* Nam de contraria potius eorum voluntate præsumendum est juxta dicta in concl.

Ad prob. R. D. Quæ servanda est ante sententiam in non pœnalibus C. in pœnalibus, *Subd.* si convenerint de non expectanda sententia judicis C. si non N. Quia enim aliud non expriment, censentur solum dupli vel tripli pœnam apponere; cum vero de illa ante sententiam præstanda non convenerint, censentur ex dictis habuisse intentionem conformem naturæ pœnarum impositarum a jure, eo quod actus gestus, si est dubium, præsumatur secundum propriam ejus naturam.

214. *Inst. 2.* Arrha accepta ab eo, cui data fides non servatur, retineri potest in conscientia, etiam non implorato officio judicis. Item, arrha simplex ab eo, qui accepit, et injuste resilit, restitui debet ante sententiam, et etiam ante ipsam exactionem; ergo a pari.

R. C. *Ant. N. Cons.* Disparitas est: Imprimis cui data fides non servatur; habet per se justum titulum retinendi ante sententiam, quod inde patet; quia si, quod arrhæ nomine accepit, ipsi in casum non servatæ fidei fuisset duntaxat promissum, habuisset jus illud per viam actionis exigendi, ergo jam sibi traditum jure retinet; qui enim habet actionem, multo magis habet exceptionem, R. *Invitus* 50. ff. et 71. in 6. Deinde resiliens injuste nullum habet jus et titulum retinendi arrham acceptam; ergo tenetur reddere sine implorato judice. E contra quia contrahentes arrhas multiplicatas censentur apponere ut pœnam incurrendam ab injuste resiliante; nec convenerint de ea præstanda ante sententiam, non est obligatio ante sententiam præstandi pœnam; conformiter juri, juxta quod non est obligatio in

conscientia ad pœnam præstandam ante condemnationem; ergo resiliens ante hanc jure suo non reddit arrhas ad duplum vel triplum appositas.

215. *Inst. 3.* Obligatio solvendi arrhas ad duplum, vel triplum auctas non est imposita a jure, vel lege, sed ab ipsis contrahentibus; nam *L. Mulier* cit. solum vult eas solvi præsupposita conventionione partium; ergo.

R. D. Ant. Non est imposita a jure, regulari tamen debet juxta illud de pœnis, si partes inter se aliter non convenerint, juxta superius dicta *C.* secus *N.*

216. *Inst. 4.* Si violetur votum pœnale, apposita ei pœna debetur in conscientia ante sententiam; ergo a pari hic.

R. C. Ant. N. Cons. Disparitas est, quia pœnæ in voto ita promissæ, et ita a Deo acceptatæ censentur eo ipso, quod plerumque nemo sit, qui pro iis Dei supremi omnium judicis nomine agat apud judicem humanum, aut agere possit. Vide etiam dicta art. præc. obj. 3.

217. *Obj. II.* Saltem erit obligatio in conscientia ante sententiam reddendi autionem arrharum, si pars innocens per se exigit a resiliente. *Prob.* Sicut, cum agitur de solvendis pœnis a lege impositis, nemo ad illas tenetur nisi post sententiam judicis; ita cum agitur de pœnis ex conventionione appositis, sufficit solum partis petitio; quantum enim in prioribus pœnis valet sententia, tantum in posterioribus partis petitio.

R. N. Assert. et utramque ejus prob. Ex rationibus iisdem, quæ supra datæ.

218. *Dico III.* Invalide sponsalibus apponitur pœna, solvenda etiam ab eo, qui juste resilit: recte tamen et valide apponitur solvenda ab injuste resiliente.

Pars 1^a. est ferme omnium auctorum, et clare decisa in *c. Gemma 29.* de Sponsal. ubi Gregor. IX. pœnam non exigit appositam sponsalibus cum puella necdum septenni contractis, adeoque in impubertate, a quibus, saltem pubes facta, juste, ex dispositione juris, poterat resilire, sicut universim a sponsalibus in impubertate contractis resilire licet, *c. De illis 7.* de Despons. impub.

Pars 2^a. est plurimorum recentiorum contra multos et fere plerosque veteres.

Prob. I. et optime *negative*, quod pœnam sponsalibus adjicere solvendam ab eo, qui perfide et injuste resilit, nullo jure prohibeatur. Non naturali: nam huic potius per appositam pœnam consulitur; hæc enim servit ad executionem actus honesti et ex justitia debiti, et supposita promissione sponsalitia, graviter præcepti ab ipso jure naturali, prohibente violationem datæ fidei. Nec divino: sicut enim jus positivum divinum nullibi prohibet contrahere sponsalia; sic neque pœnam apponere ad illa magis stabilienda. Nec jure ecclesiastico, ut patebit solutione objectionum.

Prob. II. positive. Licite apponitur arrha et valide in duplum de jure, et in quadruplum ex conventionione, restituenda ab eo, qui accipit, et injuste resilit, *L. Mulier 5.* c. de Spons. et Arrh. sed duplum et quadruplum habet rationem pœnæ. Item, a sponsalibus injuste recedens potest excommuni-

catione, quæ est pœna ecclesiastica gravissima, aliisque pœnis ecclesiasticis compelli ad servandam fidem, *c. Ex Litteris 10.* h. t. et ex praxi plurium Diœcesium in Germania injuste resiliens condemnantur quandoque ad mulctam pecuniariam, centum subinde mille aureorum pro circumstantiis, aut cum adversa parte hujusmodi compositionem inire coguntur; ergo.

219. *Obj. I.* Leges universaliter prohibent apponi pœnam conventionalem sponsalibus, non distinguendo inter juste et injuste resilientem; ergo. *Prob. Ant.* ex *c. Gemma* cit. *Cum libera matrimonia esse debeant, et ideo talis stipulatio propter pœnæ interpositionem sit merito improbanda, ideo mandamus, etc. Confirm.* ex jure civili *L. Titia 134.* ff. de V. O. et *L. Mulier* cit. in fin.

R. N. Ant. Ad prob. *R. C. Gemma* loquitur de sponsalibus puellæ infra septennium contractis, a quibus pubes facta juste resilire poterat. Imo hæc sponsalia infra septennium absolute nulla sunt, a quibus semper recedere licet ex jure; hanc vero recedendi facultatem cum saltem multum impediatur pœna apposita, merito rejecta est cit. cap. tanquam contraria libertati matrimonii; nemo enim ad hoc compelli debet, si se ad illud contrahendum nondum obligavit per sponsalia: sed qui infra septennium promittit, nondum se obligat, nam ex defectu ætatis hæc sponsalia sunt nulla, ex talibus autem sponsalibus nulla oritur obligatio.

Ad Conf. R. 1^o. Etiam in *L. Titia* sermo est de sponsalibus a parentibus contractis nomine liberorum ignorantium, quibus liberi absolute non tenentur, et renuntiare possunt.

R. 2^o. Lex *Titia* fuit correctæ per Novell. 18. Leonis Imperatoris: *ut in Sponsalibus constituta pœna exigatur.* Quod idem de versu final. legis *Mulier* dici potest, ubi prohibet augere arrhas ultra quadruplum. Et præterquam quod leges civiles in hac materia, quæ est fori ecclesiastici, non adeo curandæ sint, addo, etiamsi in citatis legibus pœna rejiceretur, nihil inde sequi; nam cum antiquo jure Romano non solum a sponsalibus, sed ipsi etiam matrimoniis legitime contractis et consummatis liceret resilire, modo resiliens pœnam legibus statutam, nimirum arrharum, dotis, aut donationis propter nuptias amissionem subiret *L. 1.* C. de Spons. *L. 14.* C. de Nupt. *L. 2.* ff. de Divort. et repud. Inde, ut hæc libertas resiliendi concessa a legibus non impediretur, statutum est aliis legibus, ne insuper adhuc pœnæ aliæ apponerentur, ne alioquin nimium constringerentur tam sponsalia *L. Titia* et *L. Mulier.* cit. quam matrimonia *L. Si stipulatio 10.* ff. de V. O. Sed aliter se habet res in lege Christiana, in qua sicut matrimonii vinculum est prorsus insolubile; sic sponsalia inducunt obligationem gravem, a qua non licet sine justa causa invito altero resilire; ideoque recte apponi pœna potest, ut executioni detur ista obligatio, et Leo Imp. Nov. cit. consuetudinem exigendi pœnam appositam confirmavit, ceu juri naturali et divino magis consentaneam, id quod iteratis vocibus Nov. cit. repetit.

220. *Obj. II.* Matrimonium debet esse liberrimum, ex jure naturali et po-

sitivo L. 2. c. de inutili Stipulat. Sed hanc libertatem infringit pœna a resiliendo solvenda; ergo.

R. D. Maj. Debet esse liberrimum, ut quis se ad illud obliget C. postquam se ad illud libere obligavit et non interveniat justa causa N. Supposita hac obligatione libera, jam jus naturale non concedit libertatem illud contrahendi, vel non; sed e contrario datam fidem violari prohibet: similiter jus positivum c. Ex Litteris cit. ad illud tunc præcipit pœnis compellere resiliendam. Igitur metus pœnæ solvendæ tunc plane justus est. Deinde retorsio est in arrha duplicata, vel quadruplicata. Item in judice sponsos sæpe compellente ad contrahendum matrimonium pœnis ecclesiasticis, vel condemnante resiliendam ad gravem mulctam: nimirum quando per pœnam adstringuntur ad non resiliendum injuste, non adimitur ipsis libertas, sed adempta supponitur.

221. Obj. III. Stipulatio testamentaria de pœna est nulla et invalida; ut si quis cum testatore sic stipularetur: si hæredem me non feceris, tantum dare spondes. Ergo etiam.

R. C. Ant. N. Cons. Disparitas est; quia testator non est aliunde obligatus, ut illum instituat hæredem; sed gaudet omni libertate physica et morali, quam jura semper salvam volunt, ideoque irritant stipulationes ejusmodi. E contra sponsi jam sunt aliunde obligati ex liberrima electione sua ad incundum matrimonium, quamdiu non intervenit justa causa resiliendi; igitur non gaudent amplius libertate morali ad resiliendum; et sicut, quia obligatio eorum est gravis, ideo jus naturale præcipit illam implere, jus positivum etiam urget pœnis executionem; sic se ipsos sponsi pœnis voluntariis ad ipsam urgere possunt.

ARTICULUS III.

DE SPONSALIBUS IMPUBERUM.

222. Observandum 1^o. Impuberum nomine ii intelliguntur, qui, si mares sint, nondum decimum quartum ætatis annum, si feminae sint, nondum duodecimum annum expleverunt. In ordine tamen ad sponsalia contrahenda illi magis stricte vocantur impuberes, qui septennio licet expleto, nondum pubertatem adepti sunt, hoc est in sensu juris, nondum prædictos annos excesserunt, L. fin. C. quando Tutores esse desinant, et c. 6. 10. 11. h. t. Dixi: in sensu juris: nam pubertas est duplex, legalis, quæ est determinata a legibus, et tunc habetur, quando mares annum decimum quartum egressi sunt, feminae duodecimum, eo quod tunc ordinarie esse puberes soleant, hoc est, apti ad generandum. Altera, naturalis, quæ est ipsa habilitas et potentia actualiter præsens ad generandum, sive jam adsint anni pubertatis legalis, sive non, quia subinde ante hos annos apti sunt ex dispositione naturali ad generandum. Si vero adhuc minores septennio sint, non proprie impuberes, sed infantes juridice dicuntur. Quæritur tamen hic de utrisque. Pro quo observandum

2^o. Sacros canones ætatem certam sponsalibus contrahendis, et matrimonio præscripsisse. Et quidem ad sponsalia contrahenda tam in mare, quam

femina septennium completum requirunt c. Litteras 4. c. Accessit 5. etc. de Despons. impub. et c. unico eod. t. in 6. eo quod ordinarie ante hoc tempus pleno rationis usu careamus. Ad matrimonium vero in maribus decimum quartum c. Attestationes 10. c. Ex litteris 11. h. t. in feminis vero duodecimum ætatis annum completum exigunt. c. Continebatur. 6. h. t., etc. Cum vero hujus ætatis defectum nonnunquam supplere dicatur malitia, observandum est

3^o. Malitiam supplere ætatem, aliter intelligi in sponsalibus, aliter in matrimonio. In sponsalibus malitia supplere ætatem dicitur, si ante septennium a jure requisitum adsit sufficiens rationis usus; unde malitia hic potius prudentiam, vel usum rationis denotat. In matrimonio, si ante pubertatem legalem non solum habeatur perfectus usus rationis, sed etiam pubertas naturalis, sive potentia perfecta ad generandum; proin malitia hic sumitur pro potentia generandi.

His positis, cum jura ad valorem sponsalium requirant septennium completum, eo quod ante illud ordinarie non habeatur sufficiens rationis usus,

Quæritur 1. Annon valeant sponsalia, si malitia suppleat ætatem, sive si ante septennium jam adsit sufficiens rationis usus? Non enim valere si hic absit, certum est, sive contrahantur ante, sive post septennium, ex defectu consensus ad omnem contractum necessarii, hic vero dependet ab usu rationis, quo ex supposito carent. 2. Quid juris de aliis impuberum sponsalibus?

223. Dico I. Non valent sponsalia inita ante completum perfecte ætatis septennium, licet malitia suppleat ætatem. Ita multi contra multos.

Prob. I. Lex fundata in præsumptione generali non cessat obligare, etsi in casu aliquo particulari non subesset, quod lex præsumit, ut patet in lege Tridentini irritante matrimonia clandestina ob periculum generale negandi postea matrimonium, et ideo ad clandestine contrahenda matrimonia personas inhabilitante, quæ lex semper obligat, et personæ sunt semper inhabiles ad contrahendum clandestine, licet forte in casu particulari non subsit hoc periculum: item in lege jejunii non obligante ante vigesimum primum ætatis annum, licet ante hanc ætatem adsit magna virium robustas; et similibus aliis paulo post referendis. Et ratio est, quia si lex fundetur in præsumptione generali, fundamentum legis manet semper, etiamsi in casu particulari cessaret legis finis; ergo etiam pro semper obligat, quia sic nunquam cessat ipsa lex. Subsumo: Atqui leges ecclesiasticæ exigentes ad sponsalia septennium completum, et irritantes sponsalia ante septennium fundantur in præsumptione generali, quod ante illud tempus non adsit sufficiens rationis usus ad obligationem tam gravem sibi imponendam, et quod alias fraudes, confusiones, etc. non satis evitentur, si certa ætas non definiretur. Ergo non valent sponsalia ante septennium, licet malitia suppleat ætatem.

Prob. II. Sacri canones expresse requirunt universaliter septennium completum, et sponsalia ante illud contracta absolute pronunciantur invalida, et nulli excipiunt casum, quo malitia suppleret ætatem; ergo etiam non potest excipi pro libitu a privatis. Prob. Antec. ex c. Litteras. 4. de Despons. impub. ubi ab Alexandro III. ejusmodi desponsationes pronunciantur sim-